

**Becquet, Louis-Joseph - candidat /  
Allan, Guy-Felix - président. - De  
palpebrarum ulceribus**

**1775.**

***Paris : Typis Michaelis Lambert,  
Regii Chirurgiae Collegii  
Typographi, viâ Cithareâ,  
Cote : ms 2344, n°22***

DE  
 PALPEBRARUM  
 ULCERIBUS.  
 THESES  
 ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

QUAS, DEO JUVANTE & Præside M. GUIDONE-  
 FELICE ALLAN, Artium Liberalium &  
 Chirurgiæ Magistro, tueri conabitur LUDOVICUS-  
 JOSEPHUS BECQUET, Parisinus, in almâ Uni-  
 versitate Parisiensi Artium Liberalium Magister,  
 necnon Nosocomii Parisiensis Chirurgus nuper inter-  
 nus, Theseos Auctor.

PARISIIS,  
 IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,  
 Die Sabbati 26<sup>a</sup> mensis Augusti, A. S. H. 1775,  
 à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam.


PRO ACTU PUBLICO  
 ET  
 MAGISTERII LAUREA.



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ Collegii  
 Typographi, viâ Cithareâ.

---

M. DCC. LXXV.



DE  
PALPEBRARUM  
ULCERIBUS  
THESES  
ANATOMICO-CHIRURGICAE

Quae, Deo iuvante, Praefate M. GUIDONIS  
FELICE ALANI, Aetium Liberae &  
Chirurgiae Magistro, tunc conditoris LUDOVICI  
JOSEPHUS FACQUET, Parsium, in eadem Uni-  
versitate, Praefate Aetium Liberae Magister,  
necnon HONORATI Praefate Chirurgiae superinter-  
nat, Theodosii Auditoris

PARISIIS.  
IN REGIIS CHIRURGICORUM SCHOLIS  
Theodori de la Roche, M. D. C. C. LXXV.  
Typographeus, et Curator, Typographeus

PRO ACTU PUBLICO  
ET  
MAGISTERII LAUREAE



THOMAS MICHAELIUS AMBERT, Regii Chirurgiae Collegii  
Typographeus, vii Curator

---

M. DCC. LXXV.





D. O. M.  
*T H E S E S*  
ANATOMICO - CHIRURGICÆ.  

---

*E X A N A T O M I A .*

**P**ALPEBRÆ, oculorum vela, cutis faciei sunt processus. Utrunque duæ, superna major, mobilis ; inferna ferè immobilis & minor. In utroque oculi cantho superna cum infernâ conjungitur ; canthus major dicitur qui naso proprior, minor qui temporibus. Palpebrarum epidermis introrsùm, eodem modo ac in omnibus aperturis naturalibus, reflexa, earum internam faciem obtegit ; & anteriorem oculi faciem obvestiens, membrana adnata, aliter conjunctiva audit ; quæ, ut liberè & undique moveatur oculus, hunc palpebris ita laxè connectit, ut sive

A ij

fursùm, five deorsùm, internè aut externè moveatur, plica exindè oriatur, cujus propè carunculam pars semi-lunaris prodit.

Duo sunt palpebris muscoli, quibus pro lubitù à se invicem deduci, & ad se reduci possunt. Horum, alter communis, alter superiori proprius: *Communis*, ob fibrarum dispositionem, orbicularis dictus, latior multò palpebrarum ambitu, ex apophisi internâ angulari ossis coronalis, ossisque maxillaris ascendente & sacco lacrymali originem ducit; celluloso textu laxè cuti adhæret, firmiter verò cuti & cartilaginibus versùs palpebrarum limbos & tempora, ubi fibræ quasi circulares decussari videntur; hujus muscoli contractione velatur oculus.

*Proprius* five elevator palpebræ superioris, cum oculi musculus ab involucre nervi optici oritur, rectus & gracilis antroorsùm tendens, in membranam latam triangularem desinit, palpebræque superioris cartilagini inseritur; totam palpebram elevans, oculum luci aperit.

In eo margine quo se contingunt palpebræ, ex cute tumidâ emergunt pili, præposterè inflexi, qui limbos palpebrarum adornant, & cilia dicuntur. Qui in superiori palpebrâ, uberiorès longè descendunt, deinde arcu factò, fursùm reflectuntur: in palpebrâ inferiori primò adscendunt, deindè reflexi deorsùm redeunt; utrinque eò longiores, quò mediæ palpebræ viciniore: lucis accessum moderant & volitantes atomos arcent. Musculum inter orbicularem & membranam adnatam, arcuatis cartilaginibus, *tarforum* nomine insignitis, muniuntur palpebræ. Superior *Tarsus* inferiorem latitudine multùm & longitudine superat: horum extrema canthos versùs orbitæ, mediante pericranii processu connectuntur. *Tarsus* uterque semicanalem efficit internè, sicque palpebris clausis & accuratè junctis, triangularis excavatur ad lacrymarum progressum ductus.

Cartilagines inter & membranam adnatam, flavæ micant lineæ, quas meram glandularum seriem esse comperiit *Meibomius*. Sebum quod poris ciliaribus secernunt, palpebrarum limbos illinit, nictum permulcet, lacrymarumque in genas



stillecidio obstat. *Caruncula lacrymalis*, in cantho majori sub conjunctivâ sita, corpus est rubicundum, glandulis *Meibomii* scatens, poris pluribus humorem, *lema* dictum, majorem canthum lubricandi gratiâ, fecernit. Commissuram arctè claudit, lacrymasque coerces.

In orbitæ externâ & anteriori parte, propè minorem oculi canthum, existit fossula, ubi glandula conglomerata, lacrymalis nomine, reconditur. Ex quâ plurimi canales excretorii, in sex vel octo ductus collecti, per interiora palpebræ superioris descendunt, & in ejus membranâ conjunctivâ, osculis distinctis aperiuntur. Hi canales in superficiem oculi, limpidum stillant rorem lacrymalem, eoque copiosorem, quo vario suo motu glandulam fortius premit oculus. Liquor lacrymalis continuè effluens, oculosque lubricans, palpebrarum repetitos affricus, necnon humorum oculi evaporationem temperat. Tribus vel circiter quatuor lineis à majori cantho, ad fines tarsorum, duo eminent annuli cartilaginei, alter in superiori, alter in inferiori palpebrâ obliquè introrsum hiantes, qui *puncta lacrymalia* vocantur. Hæc puncta, compagem inter palpebrarum, ducunt in duos canaliculos, *lacrymales*, qui ad se invicem accedentes, communi receptaculo, quod *faccus lacrymalis* dicitur, inferuntur : qui *faccus membranaceus* ferè ovalis, supernè cæcus ad nasum inclinatur; huicce continuus est ductus nasalis per sulcum quem efformant ossa unguis & maxillaris gliscens, naribus sub ossè turbinato inferiori inhiat. His viis, lacrymæ, palpebrarum nictibus ad majorem oculi canthum devectæ, per puncta lacrymalia & ductus, partium ambientium organico motu, meant; in sacco nasali que ductu deponuntur. Dehinc motu alterno respirationis ( 1 ) in nares labi coguntur, ubi in vaporem evanescent.

(1) Hunaud, Phil. Trans. n°. 437.

## EXCHIRURGIA.

VARIOS inter palpebrarum morbos, non rarò superveniunt ulcerationes, quæ, non lepori solùm, sed quoque visionis negotio, ut plurimùm officiant. Palpebrarum ulcerationes sunt emissariorum *Meibomii* glandularum erosiones, cum rubore, prurigine, callositate, majori vel minori lacrymarum & lemæ stillicidio. In humidæ, siccas & duras plerumque dividuntur. Humidæ; *Pforophthalmia*, lippitudo pruriginosa, palpebrarum scabies, nuncupata, cùm soli exulcerantur anguli, oculi lacrymantur, multa que stillat sanies. Siccæ; *Xerophthalmia*, lippitudo arida, quando rubescunt, pulsant, intumescunt palpebræ: sanies crassior, sed parca fluit. Duræ; *Sclerophthalmia*, lippitudo scirroidea, quia duriores, siccioresque palpebræ, ad motum pigriores, & vix post somnum aperiri possunt, vel inverti propter duritiem; à *Pforophthalmia* & *Xerophthalmia* solâ doloris, duritiei, siccitatisque intensitate discrepant: aliundè quæque species recens, simplex, periodica, habitualis, vetus & complicata esse potest.

Ulcerationum causæ vel internæ vel externæ. Internæ ab humorum pravâ *diathesi*, vel à vitio quolibet oriri possunt. Scæpè scæpiùs etiam *variolarum* reliquiæ esse solent. Causas inter externas atomi volitantes, sordidorum digitorum affrictus, *Phtheiriasis* sive palpebrarum morbus pedicularis, adustiones, vulnera, &c. reputantur: præterea rerum non naturalium abusus, verbi gratiâ, repentinus è loco calido transitus in frigidum (1), acrium alimentorum & liquorum volatiliùm immodicus usus, lucubrationes assiduæ, suppressæ evacuationes; his causis vitiatur humor glandularum *Meibomii*; tumescunt earum vasa excretoria, undè ingurgitatio, inflammatio & ulceratio.

Ulcerationum signa facilè patent. Quærendum an à causâ internâ, an ab externâ oriantur. Morbi autem aspectu an humidæ, siccæ, duræ, an simplices & complicatæ sint, certi sumus.

---

(1) Aphor. Hipp. Sec. 3. 12.



Ulcerationes simplices ab erosione emissariorum *Meibomii* glandularum solummodò incitantur: si sint complicatæ, tunc vel à causâ internâ vel externâ producuntur, vel morbo quolibet & accidentibus, verbi gratiâ, inflammatione, prurigine ac callositate stipantur. Haud infrequenter superveniunt *Epiphora*, id est, lacrymarum ex oculo super genas stillicidium; ciliorum defluvium vel *Madarosis*; everfio palpebrarum, præsertim inferioris, seu *Ectropion*; *Phalangosis* quando cilia oculum pungunt introvertentia; *Encanthis*, vel immoderatum carunculæ lacrymalis volumen & erosio; *Ophthalmia*; membranæ demùm adnatæ, imò & oculi ulcerationes; succedunt denique molestæ cicatrices, quæ visui quàmmaximè officiunt.

Pro indole ulcerationum, specie, causis, complicationibus, ætate, &c. prognosim differre nemo nescit. Recentes & humidæ haud difficulter ut plurimum sanescunt, maximè si junior sit æger. Quò autem magis inveteratæ, gravioribusque malis comitatæ eò difficiliùs curantur. Periodicæ, habituales, denique à *variolis* oriundæ vix sanantur. Diurnus attritus à nictu, perpetua concretio, dum oculus clauditur (1), evulsio cùm post somnum aperitur, totidem sunt causæ quibus morbus protrahitur. Ulcerationes à vitiis internis oriundæ, curationem vix ac ne vix quidem admittunt, nisi vitium medicamentis idoneis priùs debelletur.

Curatio: Balneis, suffribus, anodynis ac emollientibus inflammatio cedit, laudabile pus consequitur. Ne limbi, ob interventum materiæ glutinosæ, noctu concrecant, emplastro unguenti fusci quàm maximè opus est palpebras contegere. Hâcce methodo, non tantùm ulcerationes ficcæ, sed etiam duræ ad humidas reducuntur: tunc deterfivis leviter roborantibus, putâ, lapidis *divini*, vel medicamentosi *Crollii* dissolutione in aquâ distillatâ, expedit ulcera fovere.

Ubi verò palpebrarum limbi, duritie, ac callositate, ob

---

(1) Boerh. publ. prælec. de mor. ocul.



imperfeetam *Meibomii* glandularum destructionem fœdantur, ne ulcerationes sensim ac sensim exaugeantur, limbosque omninò erodant, non incassum lapide infernali ulcera pluriès & cautissimè lambes: dein lotionibus & balneis exsiccativis, verbi gratiâ, aquâ vegeto-minerali, ad cicatricem perducuntur. Iteratâ caustici applicatione, si quid superfit, Saturni cetati & mercurialis unguenti (parte æquali) illitus levis, felici cum successu sæpè adhibetur; præsertim, si ulcerationes à morbo pediculari, vel lue venereâ oriuntur. Sunt qui ulcerationes scarificare jubent, quando eas vitium locale ciet (1).

Sive palpebrarum ulcerationes sint periodica, habituales; sive quarumdam evacuationum suppressione concitentur, vitium locale eradicare ne enitaris, nisi antecesserit vel foniculus, setaceum vel vesicatorium pro re natâ. De setaceo æquè ac foniculis & vesicatoriis notandum, quòd sine concursu remediorum internorum, effectum durabilem non præstent.

Si verò palpebrarum ulcerationes morbo quolibet vicino stipantur, verbi gratiâ, antrorsum eversione palpebrarum, præsertim inferioris, operatio à Cel. Bordenave laudata ac inventa, institui non debet (2), nisi antea ulcera consolidentur; *Phalangosi*, primùm uti juvat pilos intrò-vergentes eradicare, protinùsque præstat post pilam evulsum radici sive foraminulo, medicamentum aliquod rodens, infernalem præcipuè lapidem, intrudere. Si carunculæ lacrymalis erosio, *Ophthalmia* & oculi ulcerationes ex palpebrarum ulceribus oriantur: his consolidatis, curatio harum complicationum subsequi debet.

(1) Hanc praxim disertè explanavit Platnerus in dissertatione *de scarificatione oculorum*; vid. ejus opuscula; vide etiam quid de hac praxi scripsit cel. Louis in Act. Reg. chirurg. Acad. tom. V. pag. 121 & seq.

Idem clar. Louis testatur se optimo cum successu pluriès adhibuisse medicamentum ex præcipit. Rubr. scrupulo uno & unguenti rosacei drachmis duabus paratum, in sanandis ulcerationibus maximè reluctancibus. *ibid.* Loc. cit.

(2) Act. Reg. Chir. Acad. Tom. V.

FINIS.